DE

TYPHO ABDOMINALI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE IX. M. AUGUSTI A. MDCCCXLI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

DANIEL SAALMANN

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

FR. PRIGGE, med. et chir. Dr., med. pract.
J. MARTINI, med. et chir. Dr.
H. JASPER, med. et chir. Dd.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

AD CINERES USQUE COLENDIS

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

FACTA ANATOMICO-PATHOLOGIGA.

Medici aetatis recentioris, imprimis Germaniae de aperienda membranae mucosae intestinorum conditione in hominibus typho abdominali defunctis optime meriti sunt. Summa eorum disquisitionum est fere haec: glandulae Peyeri et Brunneri valde mutatae inveniuntur, imprimis in intestino ileo haud procul ab ipsa coeci valvula.

Glandulae Peyeri earumque membrana mucosa primum intumescunt, simulque in iis magna novorum vasorum copia formatur, ita ut fungi haematodis imaginem offerant. Etiam villi earum tument, quasi eriguntur, crassiores fiunt, et quinto vel sexto die sanguinem exsudant, qui in escharam mutatur, dum villi emoriuntur. Eodem modo etiam in nova tela vasculosa glandularum illarum exsudatio sanguinis observatur, et eschararum formatio, quae ad septimum vel octavum diem gangraenescunt et inflammationem circumdantis telae cellulosae efficiunt. Tum illae escharae detruduntur, exulceratio

incipit, quae ipsam membranam muscularem destruit, ita ut serosa tantum relinquatur. Cum sanatio intrat, margines talius ulceris ad fundum propius accedunt et cicatrisatio in marginibus exsistit atque ad centrum procedit. Cicatrix semper est nonnihil excavata atque cinereum plumbo similem colorem praebet, quem per longum tempus servat. Quod stadium ultimum, in quo ulceribus cicatrix inducitur, distinctum temporis spatium non habet.

MORBI SYMPTOMATA ET DECURSUS.

Morbi ipsius initio haud raro stadium prodromorum, quod dicitur, antecedit; aegri corporis lassitudinem, agrypniam, nunc calorem, nunc horripilationes accusant, alvi exoneratio est perturbata, obstructio alternat cum diarrhoea. Quae symptomata omnia etiam in aliis morbis occurrere queunt; morbus ipse autem cum horrore aegrotantem pertinaciter concuciente, cui mox calor succedit, ingreditur, a quo tempore stadium primum initium capit. Hoc plerumque septem per dies durat et symptomata offert fere haecce:

Primum perturbata organorum digestionis functio in conspectum venit, lingua apparet albida vel subflavo tegumento obducta, sapor oris est amarus vel mucilaginosus, appetitus ciborum comminutus, vomituritiones et ipse vomitus consequuntur, levisque se ostendit circa alas nasi angulosque oris color ictericus, ut dicitur, gastricus. Praeterea circa secundum diem in regione hy-

pochondriaca dextra, ubi intestinum ileum in coecum transit, aegri dolore afficiuntur, qui pressione augetur, et cum crura ad abdomen admovere suscipiunt; simul medici manus in illa regione ileo-coecali peculiarem strepitum sentit, qui alvi fluxum indicat, si nondum adest, mox superventurum esse. Quod fieri solet circiter diem tertium vel quartum, quo exanthema in membrana mucosa intestini ilei prodit. Interdum diarrhoeae jam ab initio typhi abdominalis adsunt, praesertim cum e febri gastrica evaserit; plurimis autem in casibus alvus adstricta invenitur. Febris, quae ad vesperam exacerbatur, matutino tempore remittit, est modica; etenim pulsus modice magnus, modice plenus, mollis, sexages. horae parte ict. 90 — 100 faciens, cutis siccescit ejusque temperies est adaucta, urina modo naturalis, modo jumentosa, horis autem postmeridianis rubescit, sitis est magna. Virium dejectio crescit, oculi lucem refugiunt, dira somnia et susurrus aurium aegrum vexant, inter ambulandum vino obrutorum instar titubat, ita ut in lecto se contineri coactus sit.

Circa diem octavum omnia symptomata ingravescunt, imprimis nervosa, qua de causa stadium, quod nunc sequitur, secundum s. nervosum nominatur. Deliria mussitantia sub vesperam accedunt, quae morbo ad majorem gradum evecto die noctuque continuantur, raro sunt furibunda, sed comate somnolento aegri corripiuntur, i. e. continuo somnum carpiunt, ex quo quidem facile ex-

citari possunt, sed expergefacti paulo post iterum somno obruuntur. Dolor in regione ileo-coecali persistit, ut eo cognoscere potes, quod manu illo loco presso, aeger in ipso magno stupore faciem distorquet, qui dolor secundum Albers non plane evanescit, nisi symptomata nervosa summum gradum assecuta sint. Alvi dejectiones copiosiores et frequentiores, saepe decem intra horas viginti quatuor, nec raro insciis aut non animadvertentibus aegris. A sedibus normalibus valde abhorrent, etenim in vas vitreum ac pellucidum infusae sedimentum e flavo-cinereum demittunt, quod microscopio accuratius exploratum parvas squamas abrupti epithelii membranae mucosae intestinorum et inter has multos crystallos offert, qui secundum Dr. Simon ex acid. phosph. cum Magnesia et Ammonio conjuncto constant. Liquor harum excretionum, si chemica disquisitione instituta reactionem alcalicam ostendat, continet albumen solutum nec non aliquid materiae faecalis bilisque pigmenti. Simul cum his alvi fluxibus abdomen valde intumescit, quod symptoma a peritissimis quoque medicis semper observatum est; Albers abdominis integumenta eo magis intendi vult, quo profusiores fiunt diarrhoeae. Febris capit incrementum, et pulsus, in gravissimis casibus consequutus ict. 120 — 130, fit parvus vacuus, facilis ad comprimendum, ne multa, debilis; cutis arida vel aspera tangenti manui calorem ardentem et mordacem offert. Lingua in radice et dorso siccescit, sensim

sensimque fusco ac fuligini simili indumento tegitur, quod idem in dentes, in gingivam, in labia, in latus internum genarum atque in narium membranam mucosam se extendit, ita ut aegri gustus sensum prorsus amittant. Quamquam nec cibum nec potum appetunt, tamen omnia quae iis offeruntur magna cum cupiditate accipiunt. Supini jacent et in lecto sedere nequeunt, non sustentati statim in dorsum recidunt, nosque rigentibus oculis adspiciunt, ad crura sensim delabuntur et sub finem hujus stadii externarum impressionum receptivitas magis magisque evanescit, auditus gravitate laborant, oculi semiclausi languescunt, atque suam ipsius conditionem false judicant, interrogati, quomodo se habeant, bene se valere respondent. Omnia haec symptomata, si res bene cedat, plerumque usque ad diem undecimum eadem manent; dein autem dies index apparet, quo cutis humescit, urina flammea fit, et circiter diem decimum quartum vel decimum quintum tandem crisis incedit, quo in casu cutis turgor augetur, urina turbatur, sedimentum mucosum vel purulentum facit, pulsus frequentia minuitur, ejusque qualitas emendatur, sedes rariores paulatim faeculentae exsistunt, tegumentum illud fuscum, quod linguam, dentes totamque oris superficiem internam obducere diximus, cedit et lingua rubescit atque humescit, dolor abdominis ac meteorismus desinere incipiunt; somnus accedit, qui continuus est, quietus et profundus aegrumque recreat. Quae molimina naturae critica plurimis in casibus se-

ptem per dies cernuntur, cutis manet humida, urinae clarae magna copia mittitur; sic aeger in stadium convalescentiae transit. Hoc longe protrahitur, et quum ulcera intestinalia non sanata sint, saepe febris hectica supervenit.

Nunc mihi de aliorum morborum accessione, quae interdum animadvertitur, dicendum.

1) Affectiones organorum respirationis et in normali morbi decursu in stadio secundo accedere solent, nempe tussis initio sicca, dein humida exsistit, et sputa mucosa facile ejiciuntur. Haec symptomata momenti sunt minimi. Vehementiora autem interdum fiunt et simplex irritatio membranae mucosae bronchiorum ad inflammationem augetur, quam in primo stadio plerumque febris sthenica comitatur. Pectoris oppressio oritur, sputa striis sanguinolentis tincta sunt, percussionis sonus solito obtusior est, ubi tubulo auditorio uteris, ronchum sibilantem audis. Minus est iis fidendum, quae dicunt typho abdominali laborantes, inflammatione in secundo stadio superveniente. Quare qui hanc suspicatur, nunquam percussionem et auscultationem omittat.

2) Inflammationis cerebri symptomata sunt haec:

Facies pallida rubescit, arteriae carotides et temporales vehementer pulsant, venae jugulares intumescunt, oculi splendent, lucem refugiunt, pupilla contrahitur, visus est alienatus, deliria furibunda, temperies capitis admodum aucta, ejusque dolor gravissimus.

3) Hepatis inflammatio apud nos in typho abdominali raro obvenit, saepius autem in australibus regionibus, ubi complicatio cum pulmonum inflammatione desideratur. Hypochondrium dextrum intumescit, tactu dolet, vomitus biliosus et interdum morbus regius succedit, quo in casu typhus icterodes vocatur.

4) Magna sanguinis dissolutio. Ecchymoses in cute confirmantur, sanguinis violacei vel nigricantis haemorrhagiae e naribus, ex ano oriuntur, adeo sudores cruenti inventi sunt. Huc accedit foetor ex ore, omniumque secretionum. Cui anomaliae medici antiquiores nomen febris putridae imposuerunt. Superest, ut agamus de morbi nostri exitu.

I. In sanationem, quae aut per crises supra commemoratas aut per lysin evenit.

II. In alios morbos:

1) In phthisin intestinalem, quia ulcera intestinalia non cicatrisant, quod fieri solet in diathesi scrophulosa vel scrophulosi jam exquisita; diarrhoeae nunc aliam qualitatem assumunt et phthisis decursum rapidum facit.

2) In blennorrhoeam pulmonum chronicam, interdum post eorum inflammationem remanentem.

3) In exulcerationem laryngis et phthisin laryngeam.

4) In phthisin pulmonum floridam, praesertim apud homines diathesi scrophulosa praeditos.

5) In inflammationem auris internae, quo fit, ut interdum, suppuratione et carie ossium cranii exorta, pus

in ejus cavum fundatur, aegrumque cerebri pressione interficiat.

6) In parotidum formationem.

In animi aegrotationem, ut memoriae debilitatem et adeo vecordiam; interdum etiam contrarium animadvertebatur, quod apud homines, quorum mens stupebat, typho abdominali superato, omnes animi functiones et organa sensuum meliora reddebantur; quod syphilidis symptomata aliquamdiu quidem evanescebant et ulcera habitualia exsiccabantur, sed mox recrudescebant; quod scrophuloseos decursus post typhum abdominalem eo magis accelerebatur, et epilepsia tantum, hypochondria, hysteria, melancholia penitus exstinguebatur.

III. In mortem, quae ingruere potest:

1) Virium exinanitione et nervorum abdominis paralysi, id quod post diem decimum septimum fieri consuevit. Hoc in casu pulsus exsistit frequentissimus, vacuus, parvus, filiformis, facies collapsa sudore frigido et viscido obtegitur, extremitates frigescunt, dum trunci calor manet adauctus, meteorismus evehitur ad summum fastigium, alvi dejectiones frequentantur, insciae et invitae saepe sanguine dissoluto sunt commixtae, accedunt floccorum venatio, tremor artuum, singultus atque mors postremo feralium symptomatum agmen claudit.

2) Peritonitide gangraenosa, quam perforato intestino contenta in saccum peritonaei effusa provocant.

3) Morbis secundariis.

DIAGNOSIS.

In primo tantum stadio diagnosis aliquid difficultatis afferre potest, quia hic symptomata non distincte ex pressa sunt et maximam similitudinem habent cum febre gastrica, in qua quidem susurrus aurium, dolor in regione ileo-coecali, temulentia capitis magnaque virium dejectio desunt; dein tegumentum linguae, sensus pressionis ac plenitudinis in regione epigastrica initio febris gastricae graviora sunt, quam nostro in morbo.

Confusio cum enteritide facile fieri potest, qua de causa medici Francogalliae, in his praecipue Broussais, typhum abdominalem et enteritiden morbos eosdem habebant; at in hac statim adsunt diarrhoeae, quas posthac obstipatio sequitur, aliamque qualitatem ostendunt; praeterea symptomata nervosa vehementiora febrisque asthenica, dum plerumque in enteritide cum charactere sthenico incedit, desiderantur.

In encephalitide capitis symptomata vehementiora sunt, oculorum ruborem et splendorem, pulsationem carotidum et temporalium arteriarum, ingentem capitis calorem et dolorem, deliria furibunda animadvertere licet.

Affectio capitis in typho abdominali pendere potest:

a) Ab alteratione universali systematis vasorum; sicuti in morbillis haud raro simul cum exanthematis eruptione deliria observantur, item simulac circa diem tertium, vel quartum exanthema s. eneanthema, ut idem

appellatur, in membrana mucosa intestini ilei prodit, deliriis aegri corripiuntur.

b) A sympathia, quam intestina cum cerebro ineunt, quod in infantibus, qui helminthiasi laborant, ubi ex irritatione vermium capitis symptomata oriuntur, clarius cónspicere licet.

c) A sanguinis congestione ad caput, quo effici potest, ut membranae cerebri irritatae inflammentur.

d) Ab viribus exhaustis; simile quid post profusas haemorrhagias vides. In phthisi intestinali alvi dejectiones fere nocturno tantum tempore fiunt et in excrementis ipsis pus invenitur. Simul cum febri hectica et sudoribus colliquativis conjuncta est. Quid de ceteris morbis, quibuscum confundi possit, dicendum, quum adeo minus diagnosis peritus nostrum a morbis supra non nominatis distinguere queat.

AETIOLOGIA.

De typhi abdominalis causa proxima adhuc certatur; tantum autem verisimile est, febrem typhosam ab exanthematis eruptione et exulceratione in intestino tenui non proficisci, igitur non deuteropathicam, sed primariam exsistere, atque exanthema, quod illo loco invenitur, febri antecedente effectum esse. Nam typhi abdominalis casus sunt obvii, ubi ulcera illa desiderentur (Chomel); tum symptomata febrilia prius adsunt, quam exanthema, sicuti in exanthematibus acutis, scarlatina

etc. fieri solet; praeterea non solum intestinum tenue ab illa exulceratione corripitur, sed in aliis organis, ut pulmonibus, larynge etc., ulcera cum comite febre typhosa reperta sunt. Fortasse sanguini aliquid inest, quod ejus crasin proprie mutare valet, quo efficitur, ut morbus evadat. Sanguinem hominis typhosi a normali valde differre chemica analysi satis demonstratum. Nempe ejus cruor, fibrina, albumen minuta sunt, sed serum et corpuscula sanguinis aucta; praeterea acid. carbon. magna ex parte amisit, in cujus locum acid. cyanic. successit, quod sanguini illum colorem violaceum videtur praebere.

Oriri potest typhus abdominalis aut sua sponte, quo in casu homines invadere solet, quorum vires fractae sunt; aut per contagium, quod saepissime in robustos ac bona corporis valetudine praeditos cadit. Causae, quae morbum afferre possunt, et in externas et internas et occasionales dividuntur.

Ad externos aëris status pertinet, cui simillimus esse videtur, qui febrem intermittentem evocare potest. Quare etiam videmus, simul cum intermittentis epidemia typhum oriri, cujus rei documentum sit annus MDCCCIX, ex quo tempore typhus redditus est stationarius atque genius epidemicus gastrico- nervosus, qui ante erat inflammatorius. Deinde ad causas externas alimenta spectant, ut usus carnis salitae et putrescentis, intemperantia in cibo potuque, aquae mala conditio. Itaque Pa-

risiis, pota Sequanae aqua molli et corrupta, e catarrhali membranae mucosae tractus intestinorum affectione typhum abdominalem Chomel vidit oriri.

Quod attinet ad causas internas, homines ab anno decimo tertio usque ad trigesimum ad nostrum morbum maxime praedispositi sunt; raro autem, morbo semel superato, iterum ab eo invaduntur. Quodsi omnes hae conditiones existunt, causa occasionali tantum opus est ad morbum provocandum. Huc pertinent vitia diaetetica, venter cibis oneratus, refrigeria, excessus in venere, animi affectus deprimentes, magna virium contentio.

PROGNOSIS.

Peritissimi eruditissimique medici in eo consentiunt, typhum abdominalem ex morbis periculosissimis esse. Subito e viribus ob nimios corporis animique labores exhaustis, excessu in venere et baccho, abusu medicaminum debilitantium, purgantium imprimis et narcoticorum exortus typhus abdominalis, prognosis pejor constituenda est secundum Schoenlein, quam si ab causis mere atmosphaericis originem traxerit. Quaeritur, quae sint signa in hoc morbo malae notae; in universum experientia comprobatum est, multa symptomata fausta, uno quidem signo infausto exsistente, nondum magnam spem curae facere. Ceterum, quo magis regularis morbi decursus est, eo melius praesagium pronuntiare possumus; si usque ad diem decimum quartum vel vicesimum pri-

mum proferatur, neque symptomata critica compareant, malum eventum auguremur oportet, quia, etiamsi molimina critica appareant, tamen vix sperare licet, fore ut aegrotantis vires per criseos stadium transeundo in convalescentiae stadium sufficiant. Pessimi ominis recidivae sunt, quas aegroti fere numquam superant.

Quo copiosiores ac frequentiores diarrhoeae fiunt, praesertim quum sanguine dissoluto sint tinctae, eo magis salutis spes aufertur. Idem valet de urina, quae haud raro sedimentum cruentum et nigricans demittit, vel colorem adsciscit fuscum ad urinam hepaticam vergentem, in qua quidem secundum novissimas scrutationes chemicas non bilis pigmentum, sed urinae adauctum est. Pari modo transudatio sanguinis in telam subcutaneam vibicumque, ecchymosium, petechiarum formatio, haemorrhagiae e naribus profusae, quae omnia sunt symptomata sanguinis dissoluti, nullam fere spem felicis exitus morbi praebent.

Porro maximi momenti ad prognosin sunt pulsus conditio et symptomata nervosa; malum est, quum pulsus tremulus ac vacuus fieri incipit, ejusque frequentia sexag. quaque horae parte 120 ictuum numerum superat; quum deliria mussitantia sine remissionibus persistunt, aegrotantes e sopore nequeunt excitari, vel excitati et interrogati, quomodo habeant, bene se valere ajunt. Lingua carni exsiccatae similis et in dorso tamquam lacca signatoria splendente obducta delapsus ae-

groti ad pedes, magna abdominis intumescentia, secessus inscii atque involuntarii, qui non solum gravem sensorii affectionem, sed etiam imminentem abdominis paralysin portendunt; deinde subsultus tendinum, floccorum venatio, nasus acuminatus, facies collapsa vicibus factis, nunc frigida et sudoribus viscidis obtecta, nunc sicca et calore ardenti correpta, quamquam aliae corporis partes, nominatim extremitates frigidae inveniuntur, quod est signum diminutae actionis cordis, et sicuti cetera modo allata symptomata inter signa mali ominis referendum est.

Tristem exitum aeque praenuntiant illa in morbi acme interdum obvia raucedo et respiratio sibilans, quam in nosocomio caritatis hujus urbis audiendi apud duos aegrotantes mihi data est occasio; quorum unus typho abdominali feliciter superato, phthisi laryngea diem supremum obiit. In altera persona, quae, feriis intercedentibus, mihi non amplius in conspectum venit, constrictiones laryngis sub vesperam intrantes observavi, ita ut aegrota in ipso magno stupore identidem brachia et crura jactaret manusque ad laryngem moveret. In talibus igitur casibus possunt ulcera in larynge vel oedema glottidis oriri et phthisis laryngea vel suffocatio vitae finem facere. Constrictiones pharyngis et hydrophobiam omnes medici, qui in typho abdominali eas conspexerunt, symptomata male ominantia habuerunt.

Parotides, quas nonnulli conamen naturae criticum

putant, saepius exitium producere, si in suppurationem transeant partesque affines destruant atque febre hectica mortem afferant, experientia docet; adeo in stadio convalescentiae, ut egomet ipse in nosocomio caritatis vidi, lethalem exitum provocare queunt.

Si ad auditus gravitatem, quae a multis symptoma bonum in nostro morbo habetur, dolor pungens in aure interna accessit, ne inflammatio hoc loco superveniat et abscessus purulenti formatio, qui eruptus pus non foras, sed in cavum cranii effundat cerebrique pressione interficiat, timendum est.

Infaustissimum est, quum ex ulceratione perforatur intestinum ileum, ejusque contenta intra saccum peritonaei effunduntur, vel quum illa ulcera non cicatrisant, sed phthisin intestinalem procreant.

Complicationes cum inflammatione membranarum cerebri vel pulmonum praesagium per se deterius reddunt.

Quamdiu intestini ulcera non sunt plane ad cicatricem perducta, nondum prognosis bona constitui debet, quum in ipso stadio convalescentiae diabrosis et peritonitis lethifera observarentur.

CURATIO.

Veteres jam medici, quum typhum abdominalem se-

mel in aliquo individuo exortum ad exitum in permultis casibus lethalem ruere cognovissent, initio ejus decursum prohibere cupidissime studebant. In hunc finem propter organorum gastricorum laesionem emeticum existimabant esse remedium, quod tristem exitum avertere possit. Verumtamen experientia mox docebat contrarium eorumque spem laetam ad nihilum redigebat; etenim quum emeticum plerumque ex Ipecac. cum Tart. stib. conjunctum aegrotantibus propinarunt, vel ipsum Tart. stib., ita ut non solum vomitus, sed etiam diarrhoea sequeretur, membrana mucosa intestinorum majore etiam irritatione corriperetur, nec morbi decursus prohiberetur, sed accelerаretur necesse erat. Recentiore tempore Autenrieth et post eum Lesser mercurium dulcem in nostro morbo commendaverunt. Quod remedium, quamquam alvi fluxum promovet, tamen membranam mucosam intestinorum non irritat, et excretiones, quas provocat, colore sunt e viridi-fusco, fortasse ob magnam quam continent copiam bilis; effectus, quod attinet tempus, quo calomelanos doses dantur, variant. Itaque conspicere licet primam dosin demum post decem vel duodecim horas effectum in tractum intestinalem exercere, sedesque fluidas facere; secundam fortasse jam post quinque vel sex horas alvum movere et sedes majoris consistentiae producere; tertiam alvum adstringere, ita ut eam per clysma solvere opus sit. Jam paucis

verbis expositurus sum ea, quae mihi de calomelanos usu in nostro morbo nota sunt. Primum quaeritur, in quo stadio morbi a calomelane salus sperari possit; experientia confirmatum est, ante quartum diem, quo exanthematis eruptio in intestino ilei nondum facta sit, illud remedium maxime prodesse. Attamen Schoenlein etiam serius, et in ipso stadio nervoso incipiente usque ad diem septimum ab initio morbi, idem cum bono successu adhiberi posse nostroque morbo leviorem characterem imprimere adfirmat. Si lingua jam illo fuliginoso tegumento obducta, magnus sopor, pulsus vacuus et parvus, virium imminens exhaustio, nihil salutis a calomelane exspectari potest.

Quaeritur insuper, qua dosi calomel detur, ut effectum habeat speratum; alii dosin granorum duorum binis horis, alii scrupuli unius uno haustu sumtam et alternis diebus propinatam anteponunt, cujus methodi majus emolumentum conspiciebatur, quam illius; nam duae vel tres doses ad illas characteristicas alvi dejectiones excitandas sufficiunt. Caveas ne salivatio oriatur, qua superveniente cura nihil juvat, quam ob rem opera nobis danda est, ut eam prohibeamus, quod sic perficitur, ut calomel in hostiam involutum glutiendum curemus. Ceterum salivatione nihilominus exorta, quod gingivae intumescentia et foetore metallico ex ore cognoscis, gargarisma infusi Salviae, cui solutio Kali hydrojodici ad-

jecta est, maxime laudatur. Quum calomel ante diem quartum datur, jam die nono vel undecimo molimina critica apparere solent, urina turbatur, cutis sicca et arida humescit emolliturque; viscida et sudoribus colliquativis contecta, aequaliter transspirare incipit; sedes deponuntur rariores, ac magis magisque faeculentae fiunt, simul dolor abdominis atque meteorismus cedunt, et circa decimum quintum diem aeger in stadium convalescentiae ingreditur. Quo serius autem remedium adhibetur, hoc magis virium lapsus timendus, neque res bene cedit. Alia medicamenta, ut Jalapa, Rheum etc., quae saepius mercurio dulci adjunguntur, ne prosunt quidem, sed nociva sunt; quia membranam mucosam intestinorum irritant; corrigentia tantum, ut Magnesia etc., si achores in primis viis exstiterint, non sunt rejicienda.

Sin autem tempus usui calomelanos aptum praeteriit, morbi indicationes nobis sunt respiciendae.

a) Affectio membranae mucosae.

Lingua magno tegumento obducta, vomendi cupido et alia symptomata graviter laesae organorum gastricorum functionis Ipecacuanhae usum postulant, ita ut vomitus sequatur; sin illa signa sunt modica, potio Riveri sufficit. Dolores in regione ileo-coecali hirudinum et fomentorum tepidorum applicatione atque frictionibus unguenti hydrarg. ciner. sunt mitigandi; diaeta sit antiphlogistica.

b) Febris et sanguinis conditio, illa initio morbi inter sthenicam et asthenicam medium tenere, in stadio nervoso autem characterem asthenicum assumere solet, quare sanguinis missiones caute instituas. Si aetas florida, si temperamentum sanguineum, si bonus corporis habitus, si plethora, si pulsus magnus, plenus aut durus, si dolor capitis atrox, si pectoris oppressio respirationem laedens adest, confestim sanguis e vena mitti debet. Raro autem haec symptomata et in ipso primo stadio animadvertuntur, quia sanguis, ut supra demonstravimus, in typho abdominali a sanguine inflammatorio omnino abhorret, quamquam negari nequit, etiam nostri morbi quod spectat ad constitutionem epidemicam characterem variare, unde diversis temporibus valde diversae potentiae de ejus curatione contra peculiarem mutationem in sanguinis crasi gas chloricum in forma aquae oxymuriaticae aegris propinatum (Aq. oxymur. ℥ß in decocto Althaeae ℥iv binis horis cochlear unum) jure commendatur. Ubi inter initia morbi jam magna dissolutio sanguinis invenitur, elix. acid. Halleri vel Acid. phosph. usus suo loco est.

In secundo stadio curatio parum ab illa differt; alvi fluxibus, qui hic intrare solent. Alumen crud. ℈ß, ℈j pro dosi utile est, dein clysmata ex Amylo et nonnullis guttis Acet. plumb. parata.

Febris, quae magis magisque characterem asthenicum induit, roborantia, ut Cascarill., decoct. cort. Chinae, cui aqua oxymuriatica adjecta etc. desiderat. Decoct. Chinae etiam illis clysmatibus apte addi et in alvum immitti potest, quando virium prostratio magnum gradum assecuta est. - Circiter diem undecimum vel decimum quartum, quo saepius crisis conspicitur, quae per cutem facta maximi momenti est, cutis sicca et sordida balneis tepidis est emollienda et purganda. Si cutis laxa et in extremitatibus nonnihil frigida, simulque vires collabuntur, illis balneis species aromaticae vel spirituosa addantur. Lotiones frigidae totius cutis cum spongia marina, aqua oxymuriatica vel aceto vini impleta, requiruntur; si calor mordax et illa sanguinis dissoluti signa, ut ecchymoses etc., observantur, si calor ardens simulque congestiones sanguinis ad caput et magnus stupor adsint, celebritatem sibi conciliaverunt superfusiones frigidae. Aegro usque ad umbilicum in aqua tepida stanti ex altitudine V—VI pedum per quinque minutas in caput, dorsum et pectus aqua frigida funditur, tum in lecto collocatus laneis vestimentis tegitur; effectus est hic: aeger e stupore suscitatus sui conscius fit, ejus cutis humescit et leviter transpirare incipit, sed jam nonnullis horis post iterum siccescit, calescit, stupor atque deliria mussitantia redeunt, tum repetendae sunt superfusiones, haud raro quater vel

quinquies per XXIV horas, ac tamdiu continuandae, quamdiu aeger ferre potest, atque cutis constanter humida manet.

In stadio criseos et in soporoso statu sinapismi vel vesicatoria suris applicata valde praedicantur, quapropter aperta servari debent, donec discussa penitus febris sit, et ubi siccari incipiunt, cantharidum pulvere denuo utendum sit, ut recrudescant et renoventur. Quo magis hujusmodi ulcera inflammantur et dolent pusque bonum fundunt, eo prosperiorem eventum pollicentur.

Crises exortae remediis externis et internis adjuventur: ad illa continuatio balneorum vel superfusionum tepidarum, ad haec referenda sunt diaphoretica, ut Infus. Valerian., Camphor., ubi magna virium prostratio adest. Tum etiam diaeta sit antiphlogistica et magis nutriens, praesertim si aeger in stadium convalescentiae transierit, ubi virium defectum, quem malignior morbi fomes et nimia evacuatio affert, sedulo respicere oportet. Utendum igitur liquido, tenui, sed eo restaurante alimento; ad hunc finem carnis sorbitione vel lacte vaccino cum vitello ovi conjuncto et per os et clysterii ope in alvum immisso, praeterea vinis dulcibus, imprimis Hispanis, aut meris et bihorio quidem cochleari uno, aut cum sero lactis vel cremore hordei vel avenae. Cubiculi calor sit temperatus, novoque subinde aëre immisso vetus halitibus, vaporibus infectus emendetur.

Praeterea notatu dignum est, qui e typho abdominali evaserint, eis permagnam esse ad coitum proclivitatem; igitur severe custodiantur, ne in hac re peccent, quia facile fieri potest, ut morbus post hujusmodi excessum iterum accendatur.

CURA SYMPTOMATICA.

1) Complicationes cum cerebri vel pulmonum inflammatione magnas medico difficultates praebent, quia hi morbi aliam, quam is, de quo agitur, curationem requirunt. Attamen in pluribus casibus diaeta modica antiphlogistica et fomenta frigida capiti imposita et hirudinum applicatio ad locum inter angulum maxillae inferioris et processum mastoideum situm, vel ad frontem in cerebri, et cucurbitularum cruentarum in pulmonum affectionibus inflammatoriis, nisi morbi ad vehementiorem gradum evecti sint, sufficiunt.

2) Quando parotides orīturae sunt, id quod eo perspicis, quod regio parotidea tumescit, rubescit atque tactu valde dolet, statim, ubi illa tumescentia adhuc pisi magnitudinem habet, hirudines et frictiones unguent. hydrarg. ciner. cum Extr. Hyosc. commixti adhibeantur, et ut resolutio inflammationis perficiatur, neque suppuratione aegrotantium vires consumantur, quam maxime operam dare debemus.

3) Contra inflammationem et abscessus formationem

in aure interna hirudines inter angulum maxillae inferioris et processum mastoideum applicentur; aeger situm in aure laborante servet, ut, nisi resolutio contingat, abscessus foras aperiatur atque pus per meatum auditorium externum effundatur, in quem finem etiam vapores emollientes aure excipiendi sunt. Si otorrhoea supervenit, infusiones plus minusve adstringentium remediorum instituantur, ut Aq. calc. solut. plumb. acet. vel lapid. divin. etc.

4) Decubitum praecavere facilius est, quam semel exortum in progressu prohibere. Aeger saepius situm mutet, in culcita jaceat, cujus linteum sine plicis est, partesque quae decumbendo exulcerari possunt, saepius aq. Goulard. laventur. Sin autem decubitus provideri non potuit, panniculus in spirituosa fluida, quibus, quum sit dolor vehemens, Tinct. Opii adjungi potest, demissus et eschara delapsa, linteum carptum siccum, vel unguento de styrace linitum ulceribus imponantur.

5) Laryngis affectiones etiam hirudinibus et frictionibus ung. hydrarg. ciner. adhibitis cedere vidi.

6) Quando ischuria vel retentio urinae enascitur, hanc cathetere extrahere per aliquot dies, donec sponte emitti possit, optimum habetur.

7. Furunculi eodem modo, ac decubitus curandi sunt.

8. Haemorrhagiae interdum obveniunt per intestinum rectum; hic interne Alum. crud. v — vj gr. pro

dosi et serum lactis aluminatum pro potu dentur, simulque solut. Alum. et Amyl. per clysma.

9. In perforatione intestini ilei Stockes Opium magnis dosibus porrectum, ita ut intoxicationis symptomata conspiciantur, commendat; aegrum quiete cubare neque quidquam edere nec bibere, quod intestina irritare et motum peristalticum promovere possit, jubet; quo modo intestini perforati coalitum fieri cum annexis partibus, affirmat.

10) Contra graviora symptomata nervosa, ut subsultum tendinum, carphologiam, hydrophobiam, trismum Moschus et Castoreum maxime laudantur; quum clystere injiciuntur, quod plerumque fit, dosis sit satis magna.

VITA.

Natus sum ego Daniel Saalmann in oppido Guestphaliae, cui nomen est Breckerfeld, die IX. mensis Novembris anno h. s. XV. patre Daniele, matre Charlotta e gente Dorfmüller, quos adhuc vivos pio gratoque animo veneror. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis domi imbutus archigymnasium Susatense, quod hucusque directore Cel. Patze floret, frequentavi per quinquennium et semestre. Testimonium maturitatis nactus autumno a. MDCCCXXXVII almam literarum universitatem Bonnensem petii, ibique a rectore magnifico Ill. Welcker in numerum civium re-

ceptus, apud Ill. Harless, t. t. gratiosi medicorum ordinis Decanum spectatissimum, nomen professus sum. Per duos annos hasce audivi praelectiones:

I. Philosophicas:

Logicen et psychologiam apud Ill. Fichte; botanicen universalem apud Ill. Treviranum; physicen experimentalem apud Ill. Plücker; mineralogiam apud Ill. Noeggerath; chemiam experimentalem, phytochemiam et zoochemiam apud Ill. Bischof; zoologiam et zootomiam apud Ill. Goldfuss.

II. Medicas:

E medicorum ordine praeceptores mihi erant: de Lucretio Ill. Harless; de anatomia generali et speciali Ill. Mayer et Ill. Weber, qui quoque in cadaveribus dissecandis duces mihi fuere; de physiologia Ill. Mayer; de methodologia et rerum medicarum encyclopaedia; de pathologia et semiotice Ill. Naumann, de therapia generali, de educatione medici Ill. Fr. Nasse; de anatomia chirurgica, de chirurgia generali et

speciali, de fasciis rite applicandis Ill. Wutzer; de materia medica, de morbis venereis, de forma pharmacorum Ill. Albers. Tum autumno a. MDCCCXXXIX ad almam universitatem Fridericam Guilelmam Berolinensem me contuli, ubi Rectore Magnifico Twesten inter cives academicos receptus et Decano spectatissimo, Ill. Hekker, in album medicum inscriptus sum. Per annos duos scholis interfui: Ill. Busch de arte obstetricia theoretica et practica; Cel. Romberg de propaedeutice clinica et diagnosi, cum demonstrationibus in aegrotis conjuncta; Ill. Mueller de anatomia pathologica; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Cl. Dann de aurium morbis. Clinicas exercitationes frequentavi chirurgicas Ill. Rust, Ill. Dieffenbach, ophthalmiatrico-chirurgicas Ill. Juengken, medicas et chirurgicas Cel. Truestedt, medicas Cel. Wolff, Ill. Schoenlein, Ill. Osann.

Quibus omnibus viris optime de me meritis maximas habeo semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso absolutis, spero fore, ut dissertatione et thesibus publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Liquorem Amnii foetum nutrire nego.
2. Ligatura omnibus methodis sanguinem sistendi praeferenda.
3. Actio nervorum non pendet ab electricitate.
4. Contagium syphiliticum et blennorrhoicum unum idemque est.